

nant, quod actus isti respondens, certa mentis o-
peratio sit, sub λόγῳ ἐνδιαθέτῳ contenta.

§. 3.

Idem vero & de Objectiva potentia tanto faci-
lius constat. Præterquam enim quod & hæc for-
maliter non sit nisi nuda non-repugnantia rei non-
dum existentis ad produci: certe etiam ipsius ma-
teriale, seu subjectum, non est nisi ens in potentia;
quod quidem, quia tale, purum putum non-ens at-
que nihilum esse constat. Habetque ea præ reliquis
id sibi peculiare, ut non tam ipsa in suo subjecto,
quam hoc in illa esse, more loquendi recepto, dica-
tur. Objectiva cæteroquin appellitata, quod ejus
præcise sit, quod objectum veræ activæque alicujus
potentiæ est.

§. 4.

Uti vero alias idem cum hac potentia est τὸ esse
potentia, vel τὸ esse in potentia: ita multum ab isto
differt & τὸ esse potentiam, & τὸ posse esse. Nam
τὸ esse potentia solius entis possibilis est: esse po-
tentiam, solius entis actualis: sed τὸ posse esse, entis
cum actualis, tum possibilis.

§. 5. Quan-